

Caspar March

Programma Quo Universitatis Rostochiensis Rector Caspar March/ D. Med. & Math. Pr. P. Ad cohonestandas Exsequias quas Matronae ... Margaretæ Beselins ... Joachimi Schlorffs Relictæ Viduæ ... Hodie ... paratas cupiunt Omnes ordinum cives Academicos ... invitat Conventus fiet in Aede Mariana

Rostochii: Kilius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746848315>


Druck Freier  Zugang





March, C.,
in M. Beselin,
uxor. J. Schlorffs.

R. 1664.

17







1664
156.

PROGRAMMA

Quo
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
RECTOR

CASPAR March / D.

Med. & Math. Pr. P.

Ad cohonestandas Exsequias
quas

Matronæ Honestissimæ

MARGARETÆ

Beselinæ /

Prudentissimæ ac Spectatissimæ



JOHANNI Schlorffs


Relictæ Viduæ

Liberi Mœstissimi

Hodie hora I. in Æde Nicolaitana paratas capiunt

Omnes ordinum Cives Academicos eâ qua par est
humanitate invitât

Conventus fiet in Æde Mariana



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1664.

17



I. N. J. C.

Vix dum absolveram Programma lugubre,
quod ultimus honor Matronæ piissimæ,
Professoris in hâc Universitate meritissimi
Viduæ, vitâ jam satis saturæ, scribi popos-
cerat, & ecce de novo sollicitor, ut eadem
officii partes exequar circa funus Matronæ ex Civico
ordine pariter commendatissimæ. Adeo scilicet Mors
jura sua in quemvis exercet ordinem! Sed nescio quò
fatò aut omine fiat, quod ferè non nisi in fœmineum
sexum grassari, à supremo vitæ dispensatore conces-
sum modò ipsi videatur: Quintâ enim nunc vice fu-
nerali alloquiò muliebres intimare exequias cogor, se-
rie prorsus non interruptâ. Quid arripiemus inde, ô
mei, meditatione nostrâ non indignum? An, quod
peccati pœnas is potissimum sexus nunc luere videat-
ur, cui primam peccati debemus originem? Non
culpo: neque enim absonum erit, aut sine fructu,
Mortem unâ cum sui causâ devotioni nostræ subjice-
re. An sequiori inprimis sexui prospecturam cense-
bimus Divinam sapientiam hâc benignissimâ in abso-
lutissimam securitatem translatione, ubi dura nimis,
&

& quib⁹ sufferendis vix ulla virilis fortitudo par esse poterit, iustissimò suò iudiciò, imminere novit Germaniæ nostræ jam antè satis miseræ, cæterum enormibus vitiis, inter quæ Divinorum Oraculorum vilipendium, deducta ferè ad summum luxuria, & deploranda dissensionum, simultatum, & odiorum quasi capitalium, in omni pro dolor! Statu multiplicatio, sunt cõmunissima, iram Dei ad miserandum utur promptissimi, adversum se pertinaciter ulteriùs concitanti? Cerrè videtur isthæc meditatio magis esse de tempore & usus specialioris. Quid mirum enim, si quod fastidimus propemodum Dei verbum, aut cerrè ad interiora & vitæ emendationem non admittimus, eripi nobis à juratò Christiani nominis hoste concesserit Justitia summa? Numquid mereri fatebimur scandalosam plurimorum bonorum, quibus subinde Divina benignitas nos cumulat, & paucissimarum, quæ reliquæ sunt, opum profusionem, ut ista, harumque exiguas reliquias unò quasi impetu tollat Hostis immanitas, inq; pauperiem extremam redigat, qui præcipitare semet in eam sensim, manifestò tamen, ipsi non subverentur aut cessant? Quâ iustiori pœnâ Deus vindicabit simultates, inimicitias, calumnias, ne dicam cædes, quibus se invicem corde, ore, manu jugulant, qui Christianorũ nomine superbiunt, quàm si Barbarorum truculentia consumendos objecerit, qui mansuetudinẽ omnẽ & Caritatem fraternam prorsus deposuisse

ac

ac tantum non abjurasse deprehenduntur? Horrescit
mens præfaga malorum, quæ constans, invalescens in-
dies, & corrigi nescia Christianæ eheu! Orbis perversi-
tas meretur, & iamjam superinductura eidem videtur
tamdiu, totiesque & tam graviter læsa Divina Patien-
tia. Hisce verò omnib⁹ singulari Dei providentiâ matur-
rimè feliciterque ereptæ sunt, quibus hæctenus paren-
tati sum⁹, Matronæ piissimæ, interq; eas etiam hæc, cui
modò iusta facimus, laudatissima **MARGARETA**
Beselin⁹ / cuius Ortum, Vitam, variantesque vitæ ca-
sus, & mortem placidissimam, eò quò nobis præscri-
pta fuerunt ordine, nunc juvat exponere.

Oriunda illa fuit ex antiquò claròque apud nos
BESELINORUM stemmate; Nata Anno hujus
seculi primò, in ipsis vigiliis Feriarum S. Spiritus horâ
post meridiem sextâ, in dolem nonnisi optimam tra-
hens à Parentibus famæ & opinionis apud quosvis e-
gregiæ, laudeque dignissimis, *Patre* Prudentissimo
spectatæ integritatis & eruditionis non exiguæ *Viro*,
Dn. **JACOBO Beselin** / Patricio Rostochiensis, *Sede-*
cim Viro & Ædis Nicolaitanæ Præfecto dexterrimo.
Matre piissimâ atque matronalium virtute decoratissi-
mâ **MARGARETA Havemann⁹**. *Avum Paternum*
habuit *Virum Amplissimum ac Prudentissimum* Dn.
JOHANNEM Beselin / *Senatorem & Camerarium*,
hujus Urbis meritissimum, *Aviam Paternam* Honestis-
simam lectissimamque **MARGARETAM Stein⁹** /
Amplissi-

Amplissimi & Prudentissimi Dn. JACOBI Stelms / Se-
natoris olim in hac Republica laudatissimi filiam cultif-
simam. *Avus Maternus* ei fuit Vir Præstantissimus
& integerrimus VALENTINUS Havemann / inter
Cives Cerevisariosque nostræ Civitatis facillè primari-
us, *Avia Materna* Egregia Honoratissimaque Fœmi-
na CATHARINA Kolbomen. *Proavus Paternus* exti-
tit Vir Prudentiâ & doctrinâ nō mediocri commenda-
tissimus HENRICUS Beseln / Civis & Cerevisarius pa-
riter honestissimi nominis, *Proavia Paterna* Fœmina
Ornatissima ANNA Eggers. *Proavus Maternus* Vir
integerrimus & optimæ famæ LAURENTIUS Hаве-
mann / Civis ac Mercator in hac Civitate præstantissi-
mus. *Proavia Materna* honestissima METTA Bes-
selms. *Abavus* denique *Paternus* fuit Vir Amplissimus
& Prudentissimus Dn. NICOLAUS Beseln / Senator
hujus Urbis suis quondam meritis clarissimus, cujus
Conjux fuit Lectissima cultissimaque ANNA Becken-
tins. His prognata Majoribus Beatissima nostra mox
sacro baptismatis fonte mystico Christi corpori infer-
ta fuit, adhibitâque Parentum debitâ curâ, in pietate
virtutibusque fœmineum sexum decentibus sensim
non contemnendos progressus fecit, Parentibusque
reverentiâ & obsequiō te caram semper præstitit. Ad
maturam ubi pervenit ætatem, Anno 1624. desponsata
junctaque solemnī nuptiarum ritu fuit Viro dexterri-
mo & spectatæ integritatis JOACHIMO Schlorffen /
Civi

Civi hujus Urbis laudatissimo, Ærarii publici præfectoro & Sedecim Virorum Collegii membro, cum quò concorditer & in amore verè conjugali totos 26. annos feliciter transegit, suscipiēs ex eò 6. liberos, pari utriq; sex9 numero, nempe JOHANNEM, CATHARINAM MARGARETAM, CATHARINAM secundā, JACOBUM & JOACHIMUM, ex quibus MARGARETA & JACOBUS adhuc supersunt, JOACHIMO, postquā ē Poloniā istius linguæ idioma bene doct9 Daniscū redierat placidissimā ibidē morte An. 1653 extinctō, cæteris in infantia, aut primæ ætatis teneritudine beatissimō obitu in paradysum translatis. Cæterum quæ ex filiabus superest MARGARETA Schlorffs Divini Numinis providentiā & deliberatō consiliō in matrimonium elocata est Viro Spectatissimo & integerrimo NICOLAO Wulffraht laudato apud nos Civi ac cærevisiario, Anno 1645; quod quidem Conjugium hactenus laudabile pacatumque existit, minùs tamen proliferum, cum præter *filiam* unicam CATHARINAM inde nil liberorum susceperint Parentes honestissimi. Superstes filius JACOBUS Schlorff optimæ indolis & integritatis dexterrimæ Civis, Sedecim virorum honorato Collegio modò associatus, quintō post obitum Parentis annō, instinctu honestissimō, & consensu Matris carissimæ matrimonium contraxit cum Lectissimā pudicissimāque Virgine MARGARETHA, Amplissimi ac Prudentissimi DN. JOACHIMI


ACHIMI Manßels, Viri in Senatorio ordine specta-
tissimi filia, celebratis nuptiis die 26. Sept. Anno 1655.
quod quidem conjugium, quâ concordiam & amo-
rem, felicissimum, coeterum nimis breve fuit, quan-
doquidem suavissimam hanc conjugem sesquiannô
elapsô, postquam enixa fuerat femininam sobolem
cui MARGARETÆ nomen in Sacrô, quô potita
fuit, Baptismate inditum, in ipso isto puerperio, unâ
cum recens nata filiola, non sine ingenti cordoliô
amisit. Quare post 4 demum annos nempe 23 April.
Anni 1661. ad secundas transivit nuptias cum Virgine
itidem honestissima plurimôque virtutum decore
ornatissima ELISABETHA, Viri Prudentissimi ac
Spectatissimi, Dn. CHRISTIANI Grundgreiffers / Se-
reniss. Dn. GUSTAVI ADOLPHI, Domini nostri cle-
mentissimi Ministri in præfecturâ sibi commissâ fide-
lissimi filia; at parile priori fatum cum hâc quoque
Costa dulcissima expertus est, quandoquidem & hæc
secundo post nuptias annô, præmaturâ morte abre-
pta est, relictâ iridem, sed (vivâ adhuc quam diu incol-
lumem servare dignetur Deus benignissimus) filiolâ u-
nicâ MARGARETHA DOROTHEA: uti adeo piè
defuncta nostra VI liberorum Mater, Avia verò III
saltem extiterit. Transacta sic in mediocri fortuna vitæ
maxima parte, crucem quoque subire divinitus ei da-
tum fuit, invadente eam ægritudine, ob quam, coo-
perante seniô, lectô per tempus sat longum, abstine-
re


re non potuit; Sub qua morbi diuturnitate tamen,
Patientiæ Christianæ signa edidit minimè obscura, de
cætero quoque assidua in precibus, & ad condonan-
dum promptissima, testante id præ cæteris Plurimum
Reverendô Dn. JOACHIMO LINDEMANNO, Ar-
chidiacono Ecclesiæ nostræ fidelissimo, qui proinde
animæ illius curam gerens, præmissa devotissima pec-
catorum agnitione, aliquoties ei salvificæ Cœnæ Sa-
cramentum administravit, quâ postquam ultimò pa-
sta fuit, factum est, ut die 16. Julii proximò, hora XI.
meridiana, mente sibi quam optimè constans, ani-
mam placidissimè exhalaverit, à Salvatore suò dein-
ceps custodiendam.


*Nos jam Cives Academici tum Caritate Christiana,
tum precibus lugentis familia urgemur, ut frequenti co-
mitatu exequias Matronæ beatissimæ promptissimi
cohonestemus. Valet.*


*P. P. sub Sigillo Rectoratus die XXI. Julii Anno
M. DC. LXIV.*











ACHIMI Mangels, Viri in Sen-
tissimi filia, celebratis nuptiis d
quod quidem conjugium, qua
rem, felicissimum, coeterum nir
doquidem suavissimam hanc
elapsō, postquam enixa fuerat
cui MARGARETÆ nomen in
fuit, Baptismate inditum, in ipso
cum recens nata filiola, non
amisit. Quare post 4 demum a
Anni 1661. ad secundas transivit
iridem honestissima plurimō
ornatissima ELISABETHA,
Spectatissimi, Dn. CHRISTIANI
reniff. Dn. GUSTAVI ADOLPHI
mentissimi Ministri in præfectu
lissimi filia; at parile priori fact
Costa dulcissima expertus est, c
secundo post nuptias annō, pra
pra est, relictā iridem, sed (vivā
lumem servare dignetur Deus b
nicā MARGARETHA DORC
defuncta nostra VI liberorum
saltem extiterit. Transacta sic in
maxima parte, crucem quoque
tum fuit, invadente eam ægritu
perante seniō, lectō per tempu

line specta-
. Anno 1655.
m & amo.
fuit, quan-
sesquiannō
m sobolem
quō potita
perio, unā
nti cordoliō
pe 23 April.
um Virgine
tum decore
entissimi ac
greiffers/Se-
ni nostri cle-
nmissā fide-
hāc quoque
dem & hāc
morte abre-
m diu inco-
us) filiolā u-
uti adeo piē
via verō Ill
fortuna vitæ
nitus ei da-
quam, coo-
am, abstine-
re

